



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CARUPANENSIS** IN VENETIOLA NOVA
CONDITUR DIOECESIS CARUPANENSIS Plerique sacrorum Antistites Conferentiae Episcopalis Venetiolae, spirituali
Christifidelium bono studentes consulere, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, quodam seiuncto territorio ab
archidioecesi Cumanensi, nova dioecesis conderetur ad aptius populi Dei necessitatibus providendum. Nos vero,
praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Leonardi Sandri, Archiepiscopi titulo Aemoniensis seu Civitatis novae atque in
memorata Natione tunc Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis enixas preces libenter audiendas
esse putavimus. Summa igitur, qua fungimur, potestate, haec decernimus: ab archidioecesi Cumanensi separamus
integrum territorium municipiorum patria lingua nuncupatorum Bermúdez, Arismendi, Benítez, Valdez, Marino, Andrés
Mata, Cajigal et Libertador atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim *Carupanensem*, quae iisdem
limitabitur finibus, quibus praedicta municipia simul sumpta, prout in civili lege exstant, nunc terminantur. Sic conditae
Ecclesiae sedem in urbe « Carúpano » ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo in honorem Sanctae Rosae de
Lima dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, mandantes ut in eo, ad normam iuris,
Canonicorum Capitulum instituatur. Insuper dioecesim Carupanensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi
Cumanensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Cumanensis subicimus. Cetera vero secundum
canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Andreae Dupuy,
Archiepiscopo titulo Saelesiensi atque in Venetiola Apostolico Nuntio, eidem tribuentes necessarias et oportunas
facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere
imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique
Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum
Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto mensis Aprilis, anno Magni Iubilaei bis millesimo, Pontificatus Nostri vicesimo
secundo.*

ANGELUS card. SODANO	LUCAS card. MOREIRA NEVES
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 8, pp. 618-619 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana